



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

18. Dies Augusti. Præmium Dei; ipse Deus est. Sanctus Augustinus in
Psalm. 72.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55659

Augustus.

Tessera.

645

quanta Dei dignatio ! pædore plenus , sordibusque obsoletus, cùm voluerit, potest ad Deum accedere, cum eo loqui ; & non modò Sacram Purpuram , ac manum; sed ipsum quoque os , atque pectus suavari : è colloquio redire opulentus , & delibutus incredibili consolatione, & virtutum ornamento splendidus, & gratiâ coronatus. Itaque, mirum non est, si mortales plurimi cæcutiant; si repant humi , turbulentis affectionibus, ut fluctibus hausti ; si debilitetur indies amor ad res divinas, & ad omne genus honestorum officiorum, ac virtutum. Non est quærendus, ut ores, locus, cùm ubique sit Deus. Hinc rectè D. Augustinus : (a) *Cùm oras, clama; non voce, sed mente.* Nam & tacentes exaudit Deus; nec quæritur locus, quantum sensus. Jeremias confortatur in carcere: Daniel inter leones exultat; tres pueri in fornace tripudiant: Job nudus in sterquilino triumphat; Paradisum de cruce Latro invenit : non est locus, ubi non sit Deus. Sis magis, dum oras, solicitus de clamore cordis, quam vocis; clament opera, non verba; vita, non lingua. Nam benè D. Isidorus : (b) *Quid prodest strepitus labiorum, ubi cor est mutum?* sicut enim vox sine modulatione, est quasi vox porcorum : sic oratio sine devotione, est quasi mugitus boum. Sola, dum oras, labia non expungent crimina. Ad verba mea alludit Poëta :

Non poteris labiis orando eradere labes.

18. DIES AUGUSTI.

Præmium Dei; ipse Deus est. *Sanctus Augustinus in Psalm. 72.*

(a) *Augustinus serm. de Quadragesima.* (b) *Desum. bon. l. 3. c. 8.*

S. 3

I. Ex

X. oratione nascitur optimæ Ma-

tris optima filia, Devotio; quæ
est voluntas promptè faciendi,
quod ad Dei servitium pertinet.

Hoc est, quædam agilitas, & vivacitas Spiritus;
cujus præsidio charitas, suas in nobis actiones (aut
potius nos per illam) promptè exequitur, & expeditè operatur. Struthiones nunquam in altum sub-
volant; gallinæ magnâ cum difficultate, & demissâ,
& per quam raro; sed aquilæ, columbæ, hirundines,
& sæpè, & pertinaciter, & sublimiter in altum volant.
Sic, qui in Dei obsequio torpent; qui in virtutum
exercitiis languent; qui in luto vitiorum jacent,
nunquam animum è solo, inferunt cœlo; omnis il-
lorum liberatio, & occupatio, & studium in terra, ci-
cà terram, & propter terram suscipitur. Probvero,
quibus deest illa in divinis obsequiis agilitas, &
promptitudo; ut gallinæ admodum ægre, & raro,
& tardè, & sine gravi nisu in altum se efferunt.
At, qui sincerè Devoti sunt; celeriter, & frequenter,
& ut aquilæ, toto alarum remigio, ad cœlestia evo-
lant. Juvat hîc expendere verba S. Augustini: (a) Non
puerescit cor, si levetur ad Deum. Frumentum tuum, si
habenes in inferioribus, ne putresceret, levare studia
superiora. Frumento tuo queris mutare locum: Et cor
permittis in terra putrescere. Frumentum levare ad
superiora; cor levare in cœlum. Et unde, inquis, possim:
qui suæ, que machina, que scala opus sunt? Gra-
tus affectus est; iter tuum, voluntas est: amando af-
cendis, negligendo descendis.

II. Diversi, in diversis virtutum exercitiis sunt
devoti;

(a) In Ps. 85.

Augustus.

Tessera.

647

devoti; prout Spiritus, qui ubi vult, spirat, illis cœlesti afflatu inspirat. Ad stipulatur mihi D. Bernardus:
(a) *Non omnibus eodem modo data est gratia ista, scilicet, Devotione.* Porro, Thomas in latere; Joannes in pectore; Petrus in sinu Patris; Paulus in tertio cœlo, secreti
hujus gratiam sunt asecuti: prior, mulier stravit
in tutto loco humilitatis; posterior, in solo spei; Thomas
in fundamento fidei; Joannes in lecho Charitatis; Paulus in intimo scientiae; Petrus in luce veritatis. Sic apud
Sponsum mansiones multæ sunt. Sic unus capitur frequentibus jejuniis, aliis crebris precibus; ille solitudinis silentio; hic, animarum zelo; quidam, effusis
in egentes eleemosynis; nonnemo, habendis è suggestu concionibus. Ut varii sunt hominum vultus:
sic varius in multis est Devotionis sensus. Ubi porro
est intensa Devotione; illuc sæpè est divina consolatio;
quam prouius est experiri, quam explicare. De ea
concinne S. Augustin. (b) *Nescio, quid incorporaliter,*
& spiritualiter in nobis facit Deus; quod nec sonus sit,
qui aurem percutiat; nec color, qui oculis discernatur;
nec odor, qui naribus capiatur; nec sapor, qui faucibus
judicetur; nec durum, aut molle, quod tangendo sentia-
tur: & tamen aliquid est, quod sentire est facile, explica-
re non possibile. In hoc tamen tam suavi gustu, & cœlestium deliciarum sensu; ab uno, tanquam à scopulo
est declinandum, videlicet;

III. Nihil in delitiis quæratur præter eum, cuius
delitiae sunt, esse cum filiis hominum. Hujus nos ad-
monet hodierna Tessera; de qua fusiùs ita D. Au-
gustinus, exponens illa verba, *Mibi autem, adhære-*
re Deo, bonum est. Non ab illo petitur aliud præmium:

Sf 4

qui

(a) *In Cantic.* (b) *in Joan.*

648 *Christiani Militis* Augustus
qui aliud præmium petit à Deo, & propterea vult seruire Deo; carius facit, quod vult accipere; quam ipsum, a quo vult accipere. Quid ergo? Nullum præmium Dei; nullum præter ipsum: præmium Dei, ipse Deus est. Itaque causa & ratio sola devotionis in Deum, non debet esse aliquid, quod est Dei; ut Spiritus delectatio, sed ipse Deus. Sicut in sanctissimo Eucharistiae Sacramento, licet appareant species, quæ dicuntur sacramentales; tamen solus ibi JESUS agnoscitur, colitur, adoratur. Et dum devotio est in illo tam exesso fastigio, ut omnia despiciat, solum, qui supra omnia est, suspiciat Deum; tunc Devotione est omnium dulcedinum dulcissima, & virtutum omnium Regna. Quia Charitas & Devotione non plus inter se differunt, quam ignis, & flamma; quia Charitas, cum spiritualis quidam ignis sit, dum vehementer inflamata est, dicatur Devotione. Est igitur Devotione, Charitatis perfectio; si enim Charitas, si lac: Devotione est ejus cræmor: si illa est planta; Devotione ejus est flos: si illa est gemma; Devotione ejus est fulgor: si illa est balsamum; Devotione ejus est fragrantia. Unum ergo tibi sit votum, uni Deo esse devotum; sic vota tua Deus non tantum audiet, sed exaudiet. Poëtificet fidem, si quæ fides Poëtis:

Si sis devotus, Deus audit mox tua vota.

19. DIES AUGUSTI.

Deus non voce clamosâ est pulsandus, sed conscienciam rectâ placandus; quia non est vocis, sed cordis auditor. *Chrysost. supra Matth.*